EXERCITATIO
DE
REBUS STRATEGEMATICIS,

De quibus

DEO bene Annuente

SUB PRÆSIDIO

Viri Plur: Reverendi, Præclarißimi, &
Excellentißimi

DN. JACOBI SCHALLERI,
SS. THEOL. DOCTOR: ET PHIL.
PRACT. PROFESS. IN INCLYTA ARGENTORATENSIUM Universitate Celebratissimi; Academiæ h.t.
Rectoris Magnifici, Dn. Præceptoris atque Patroni
sui submisse colendi, in Publico congressu
Respondebit

FRIDERICUS LERSE, Argent.

A. d. 12. Febr. Horis locoq; solitis.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M DC LVII.

PRÆFATIUNCULA.

QUandoquidem Cuilibet in amœnioribus ſtudiis verſanti, licitum eſt, modo in hoc, modò in alio genere literularum aliquid ſeligere, ſeſe exercere, ingeniiq; ſui vires periclitari: Placuit ergo mihi ex lectione nonnullorum hiſtoricorum, floſculos quoſdam inſigniorum exemplorum de *Strategematis* decerpere, & publicâ diſſertatiuncula, æquis lectoribus exhibere. Sperans, neminem fore, qui haſce primitias iniquis ſit aſpecturus oculis. Sequemur autem potiſſimum filum Sexti Julii Frontini.

1. TRactaturis de rebus Strategematicis vel Strategematis I. obvenit vox ipſa, origine Græca, à στρατὸς exercitus, & ἄγω duco, hinc στρατηγέω Exercitum duco & στρατηγὸς, ductor exercitus, στρατηγικὸς imperatorius, στρατηγικὴ ſubintellige τέχνη, peritia imperatoria. *Ariſt. lib. 1. Eth. Nicom. cap. 1.* & per Synonymiam in plur. ſubſtant. στρατηγικὰ i. e. πολεμικὰ, item στρατηγία, στρατήγημα, facinus à duce militari patratum. 2. Definitio, quæ vel generaliter ſolet accipi, vel ſpecialiter. Generaliter definitur τέχνη στρατηγικὴ, prudentia militaris, quæ Comprehendit omnes boni ducis virtutes & munia, totamque diſciplinam militarem ſuo ambitu Complectitur. Specialiter τέχνη στρατηγικὴ, vel ſtrictius aliquo modo loquendo στρατηγηματικὴ dicitur ea peritia, quâ ſolers Imperator Callidis Conſiliis hoſtem circumvenire novit. Sub priore acceptione Frontinus *lib. ſuum quartum* ſcripſit, qui non tantum ea docet, quæ dux bellicus in decipiendo hoſte attendere tenetur, ſed generalia præcepta & exempla proponit de diſciplina, continentia, juſtitia, Conſtantia, moderatione & Conſiliorum varietate, quam rem nec hâc ipſa exercitatione ediſſerere volumus, eſſet enim altioris & longioris indagi-

nis, universas boni Imperatoris virtutes demonstrare. Sub posteriore sive specialiore significatione continentur ea, quæ Frontin. 3. *priorib. lib. exposuit*, de quibus & nobis in præsentia quædam erunt dicenda.

2. Monendum tamen adhuc, non insinuari, quasi solum facinora Callida hic tractanda forent, cum & quædam alia στρατηγικά, communiorem significationem spectantia attingantur: Sed notari ea præcipuè quæ sub famosiori στρατηγηματικῶν titulo collocari solent.

3. Quia vero strategemata duplicem habent respectum, quatenus 1 Imperator bellicus mente agitat, qua ratione suis bene prospicere possit: 2. quatenus ex prudentia insidias hostibus suis struit. Primum itaque Caput jam videbimus.

Caput I.

1. Dux bellicus sibi eligat & comparet milites robore & fortitudine præditos, qui facile omnia, æstus scil. frigora famem, sitim, labores, & alia perferre valent Omnia quoque vitia, utpote luxum, libidinem, scortationes, potationes, ludos aspernentur, & quæcunq; alia à bono milite requiri possunt.

2. Circa numerum norit, nimium exercitum plerumq; magis obesse, quàm prodesse: quia præsertim non semper locus tanti numeri capax reperitur, itaq; copiæ inter se magis turbantur, ut imperata debito modo exequi non possint. quod Darius expertus est *apud* Curt. & Pompeius *apud* Flor. *lib.* 4. *c.* 2. *v.* 49. *qui nullam rem Pompeio magnæ fuisse exitio, quam ipsam exercitus multitudinem testatur.*

3. Dux ad bellum gerendum procuret commeatus in longum tempus, ne milites fame sitiq; pereant; quod prudenter providit Darius, *cui semper commeatus alii terra, alii Tigri, subvehebantur. Curt. lib.* 4. *c.* 9. si vero fieret forte, ut propter consumpta alimenta inopia instaret, summa curâ talia ut emendentur studeat. Sicut Alex. M. fecit *apud eundem* Curt. *lib.* 9. *cap* 12.

4. Quia plerumq; plura pericula in itineribus, quam in ipso prælio contingere solent, Dux præcavere debet, ne miles, qui inter eundum ut plurimum minus armatus minusq; attentus est superveniente impetu repentinaque fraude hostis turbetur, sed ut semper vigilans instructusq; incedat. Ipse quoque dux

vias

vias regionum, per quas eundum est, debet quam maxime habere perspectas & cognitas: vel secum habeat alios itinerum gnaros, vel exploratores. sicut Alex. M. *Iter per Cilicia fauces faciens, Thraces leviter armatos praecedere jussit, scrutariq; calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Ceteri quoque moniti sunt, ut inter eundum omnes intentos arcus haberent, quia non iter sed praelium inirent.* Curt. *lib.3 cap.4. ut & ante trajectionem fluminis Granici quosdam praemisit* Curt. *lib.4. cap.9.* hos autem certiora perferre jubeat, idque quidem vel spe praemii vel metu supplicii, poenaeque denuntiatione. Ex captivis ut viae gnaris quoque veriora de ingrediendo itinere exquirenda sunt. quoniam autem talibus non tam promtè fidendum est, iis igitur non nisi casu necessitatis dux utatur; quia plerumq; tali monstratore, tanquam hoste, milites viarum ignari, perterrefiunt. *Quemadmodum milites* Alex. M. *conquesti sunt de quodam monstrante viam,* quia *in eo Salus totius exercitus tum sita esse videbatur.* Curt. *lib 5. cap 4.*

5. Dux omnia quae cum commilitonibus praecipuis deliberavit, studiosissimè celet & occultet, ne consilia ad omnes emanent: quia facile potest fieri, ut quis transfugiat, deliberataque sui ducis hosti prodat, cum magno & ipsius imperatoris, & totius exercitus periculo.

6. Contra pro viribus conetur hostis dicta & facta ex piscari. scil. vel ex captivis, vel exploratoribus in castra hostis emittendis, vel transfugis, quibus omnem fidem, securitatem & amicitiam polliceatur, eo fine, quo sibi adversarii consilia patefiant.

7. Duci & id scire incumbit, qualem ipse, qualem hostis habeat exercitum; Si namque hostis veteranis & exercitatis sit instructus militibus, differendum vel vitandum aliquantisper erit praelium. Sin vero adversarii milites fuerint tyrones, reiq; bellicae adhuc rudes, sibi vero sit perspecta suorum fortitudo & peritia, semper manus conserere flagitet.

8. Tum quoque specimen prudentiae in duce spectatur, si copias suas per loca hostibus infesta, commoda aliqua inventa machinatione, integras, ipsis hostib. parum advertentibus, tansducere novit. Sicut de hac re Elegans exemplum praebet Curt. *lib.8. cap.12.* in Alex. M. *deludente Regem Porum ob trajectum superatumq; flumen Hydaspen, Indis inopinantibus.*

9. Cum interdum accidat, ut milites viarum non satis gnari, ex imprudentia in loca soleant conjici in quibus aut hostis insidiæ sunt collocatæ aut quæ superatu sunt diffi ilia; ex his igitur, ut milites parvo labore & sine damno evadant, dux quam maximam navet operam. In quo prudenter egit Alex. M. *qui suis militibus in Angustiis deprehensis signum receptus dari, densatisq; agminibus & scutis super capita consertis, eos retro ex iis locis evadere jussit* Curt. *lib.5. cap 3.* Sicut & Julius Cæsar *in eductione copiarum adversus Afranium, cum eas recipere sine periculo ferme non posset, solertia quadam omnes incolumes reduxit. lib.1.* B. C. & Front. *lib 1. cap 5.9.*

10. Dux quoque in eo diligentiam suam adhibeat, ut in defectu alicujus rei necessariæ, sagaci inventione, alio modo inopiæ consulatur. Uti fecit Alex. M. *qui, cum milites ferme trepidarent ob defectum navigiorum, quibus transirent flumen Oxum, nova arte inventa, jussit eos utribus Stramentis repletos incubantes transnare. quod brevi tempore peractum fuit.* Curt *lib.7. cap.5.* Idem de Cæsare *predicat* Suetonius *lib.1. cap 57.*

11. Dux quantum fieri possit, caveat, ne milites inter se novas res moliantur, sed ut semper Concordia inter eos vigeat. Sin vero tale quid fieret, summopere studeat. ut seditionem inchoatam rursus compescat, & ab authoribus præcipuis pœnam exigat. ut in posterum cæteri horum exemplo terreantur: quod Alex M. *observasse* Curt. *testatur. Hic enim senioribus in patriam remissis, ansam præbuit cæteris, ut quoque missionem peterent, siuque seditionem moverent, quibus auditis tanta ira fuit Alex. accensus, ut primo gravissima habita oratione, postea præcipuos & notatos oblocutores autoresque ad supplicium rapuerit. reliqui, qui modo seditiosi erant ira regis adeo depressi sunt, ut ipsi non amplius resistere ausi fuerint, sed potius singuli postea omni obedientia mandata fecerint lib.10. cap.2. & 3.* Seditio enim inter milites oborta vehementer perniciosa est, quia hosti sic offertur occasio ipsos aggrediendi, & exiguo labore victoriam reportandi.

12. Militibus prælium flagitantibus Dux non semper obediat, quia plerumque eos ardor manus conserendi tum invadit, cum minime sit tempus, cujus momenti maximus fuit captator Jul. Cæs. *in velitationibus Afranianis, uti videre est. lib. 1. B. C.* contra

tum

cum occasio commoda offertur committendi prælii, duci nihil est omittendum, quod ad suorum animos excitandos spectet, inprimis autem eos commonefaciat vel majorum, vel propriarum præclarè gestarum rerum; De fama quoque ducis hic non silendum est, cujus magna vis est etiam apud hostes; sicut famâ Alex. Mag. & Jul. Cæsaris hostes nondum subactos semper fuisse perculsos testatur Curtius & ipse Cæsar *aliquoties in suu comment*. proponat & salutem patriæ, fidem inculcet, qua obstricti sint liberis, conjugibus & parentibus, quos in hostium venire potestatem non patiantur. Ut Darium *fecisse testatur in oratione ad milites* Curt. *lib*. 4. *cap*. 4. adjungatur spes prædæ, laudisque magnitudo, quam sibi fortiter pugnando apud posteros sint conciliaturi. Quod si vero jam aliquid damni ab hostibus passi fuerint, ut vel regio aliqua vel opes & conjuges, parentes aut liberi, ab iis capti teneantur, ad ea recuperanda milites vehementissime sunt concitandi. Sicut Darius *apud* Curt. *in oratione ad milites fecit*, dicens: *eripite viscera mea ex vinculu, restituite mihi pignora & seqq. lib*. 4. *cap*. 14. Tandem addatur, nisi fortiter dimicent, omnem spem ademptam esse elabendi, omnesque interituros & ignominiam infamiamq; maximam apud posteros in se translaturos. Uti Alex. M *in Oratione ad milites locutus est, eos pervenisse*, inquiens, *unde fugere non possent. apud* Curt. *lib*. 4. *cap*. 14. Nam ut Taciti *verba sonant lib*. 3. *Hist. cap*. 18. *quanto plus spei ad effugiendum, tanto minor est animus ad resistendum*. Tandem, si languescerent animi militum, pedemq; referre inciperent, constituendi sunt, qui eis resistentes, rursus ad prælium redintegrandum convertant. Ut Astyages *quosdam à tergo posuit, qui fugientes ferro rursus in hostes agerent*. Justinus *lib*. 1. *cap* 6 *v*. 20. Idem imitatus est M Æmilius *Just. lib*. 31. *c* 8. *v*. 6. Quæ cum apud Historicos, in orationibus ducum fusius tractentur, hac vice non opus est, ut multa proferantur exempla.

15. Cum autem plerumque ante prælium milites minimâ re terrore percuti soleant Dux talia tanquam vana derideat; Sin vero rei aliquid subesse videatur, plane in contrarium explicet, ne milites his perturbati & attoniti languescant in aggrediendo hostili exercitu. *Qua ratione* Alex. M. *aliquoties suos milites terrore quodam consternatos, rursus ad prælium animavit, sicut videre est apud* Curt. *lib*. 4. *cap*. 10. *Cum scil. defectu lunæ, & 12. cap.* *Cum*

 panico

panico quodam terrore percellerentur. quod citatus Autor *etiam de exercitu Darii Commemorat. lib.3.cap.*8. plerumque vero terrentur vel hostium clamore, novitate armorum, strepitu & multitudine,& quæ sunt alia. Contra Dux summopere laboret, ut talia vel simulatione quadam, vel reipsa corrigat. Clamorem nempe & strepitum dicat fieri propter hostium paucitatem,ad inanem terrorem incutiendum:paucitati suorum consulat,vel majore simulato exercitu, vel auxilii adventantis specie, Deumq; sibi fore auxilio, propter justè susceptum bellum prædicet. In prælio solet & terror oriri, si una vel altera pars militum languescat, aut damnum patiatur. Sed Dux talia potest avertere vel simulato clamore victoriæ, aut pœnæ denuntiatione.

14. Caveat autem Dux quam maxime, ne milites otiosi sint, sed semper ad labores aut alia exequenda adigantur. Otio enim militum animi valde diffluunt, ut ad pugnandum non modo inepti evadant, quod Annibal in Campania expertus est: Sed etiam seditiosi: qua propter Alex. M ne seditiones militum alerentur, otium bello interpellare semper consuevit ut est *apud* Curt. *lib.6. cap.6. lib.7.lib.*8.*c* 9. Otium supra modum quoq; ad libidines incitat. Ut testatur Tacitus *de mor. Germ.cap.*44.*otiose*, inquiens, *armatorum manus facile lasciviunt.* Ex libidinibus deinde marcor creatur,belli studia molliuntur; vires enervantur,& corpus imminuitur. qua de re videndus est Tacitus *Ann.*11.*cap.*6. *Hist.* 3.*cap.*83. *Hist.*2. *cap* 93.*& alibi.*

15. Interdum autem accidere solet,ut non omnibus semper amplius placeat militia, manusq: conserere, Dux igitur experiatur prius suorum animos. Et,si forsan tales inveniantur,eos rursus instiget,aut à tali proposito declinet,vel plane etiam ignominia notet. quod fecit Alex M. *qui animos suorum tentare volens, admonuit eos, qui literas ad suos scribere vellent,ut iis,quos ipse mittebat,traderent. Sic partim eorum quibus grata, partim quibus gravis erat militia, literæ fuerunt exceptæ. Alex. igitur horum hominum cohortem secedere & à cæteris seorsum tendere jussit, ne reliquis ansam præberent patriam visendi,& tædium laboris capiendi. Hi partim cupidine accensi demendæ ignominiæ, partim exercendæ virtutis, fortissime se præ cæteris gesserunt.* Curt. *lib.7. cap.2.* quod & fecit Agathocles,poliæno teste *lib.5. exemplo 5.*

16. Et

16. Et Hactenus ea, quæ prudens bellator notare tenetur ante prælium inchoandum, sequuntur nunc, quæ ad ipsam decertationem pertinent.

17. Priusquam enim hostis sit in conspectu, & prælium incipiatur, Dux suo militi locum idoneum eligere debet, ubi lignorum, pabuli & aquæ suppetat copia. quoad situm, qui tanto utilior, quanto superior fuerit, quia sic hosti & cum loco & cum cum hoste pugnandum est. Dux si peditibus sit instructus, loca aspera, inæqualia, montuosa eligat Sin vero equitibus, loci plani & campi neque Silvis neq; paludibus impediti, sunt occupandi. *Exemplum habemus in consilio* Parmenionis ex Curt *lib. 4. cap. 13. & aliis locis.* Ut & in Laconibus, *qui sibi prospexerant idoneum locum ad pugnam, ex quo per longum tempus commodum ceperant.* Curt. *lib. 6. cap. 1.* hinc est quod vegetius dicit *lib. 3. cap. 13. bonum ducem convenit nosse, magnam partem victoriæ, idoneum locum in quo dimicandum est, possidere.* De quo Civilis gloriatur in Tacit *lib. 5. Histor. cap. 17.* dicens, *quæ astu ducis provideri oportuerit, providi: campos madentes & ipsis gnaros, hostibus paludes noxias:* quod & Datames fecit apud *Corn.* N. in V. Datamis, *qui sibi talem delegit locum, ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur. cap. 7. v. 3.*

18. Cum autem plerumq; locus non sufficiat, Dux quoque idoneum committendo prælio tempus, observare debet, quo hostem sine suorũ magna jacturâ arte quadam vincere possit. Curare prius corpus milites sinat, illudque cibis ac potu recreare, & non statim facto itinere prælium inire permittat, sed prius aliquod tempus ad requiescendum concedat, quo promptiores dimicent, hostemq; resistentem eo fortius propulsent.

19. Priusquam autem hostis prælium inchoet, Duci maxime convenit, aciem summa industria ita ordinare & instruere, ne tam facilè vel à latere vel à fronte vel à tergo possit circumveniri: *quod* Alex. M. *observavit in acie ad Arbelas contra* Darium *ordinanda. teste,* Curt. *lib. 4. cap. 13.* Provideat quoq; Dux ut impedimenta militibus removeantur, ne nimirum, v. gr sol iis ex adverso eripiat visum; ne ventus contrarius tela in hostem emissa impediat, vel ordines confundat: à fronte collocet milites exercitatissimos & veteranos, non verò omnes sub unum

fortu-

fortunæ ictum cadere patiatur; sed partem fortissimorum post tergum jubeat consistere, ut si forte primi languescerent aut premerentur ab hoste, hi tanquam vegeti & integri cæteris succentariantes & subvenientes, hostem acrius invadant, & ita cæteris stimulum addant, rursus ineundi prælium, fortiusq; dimicandi. In latere quoque ponat quosdam, ut, si hostis aciem circumeat; hi magno animo eundem repellant. & hostiles impetus à lateribus cohibeant. Ut Alex M. *in* Curt. *lib.* 4. *cap.*13 *fecit, qui à latere quosdam posuit, ut, si hostis aciem circumire tentaret, hi parati pugnæ forent* quæ fusius tractantur à Scriptoribus Tacticis. Veget. Front. Ænea, Polyb. Cl. Æliano, Leone Imp.

20. Si forte in prælio, vel in loco alio, res durius cesserint, Dux summa cura talia dissimulet, ne vel hostis ea resciscat, qui alias acrius instandi occasionem arriperet, vel proprii milites timore aliquo concussi, animum despondeant, *quod callens* Alex. M. *consilio solerti texit cladem Menedemi, quem cum copiis ad obsidendum Spitamenem miserat, morte denuntiata iis qui ex prælio venerant, si acta vulgarent.* Curt. *lib.*7.*cap.*7.

21. Si forte fortuna in prælio accidat, ut una pars hoste profligato victrix evadat, reliqui autem adhuc ancipiti marte certent, aut etiam ipsos hostis durius urgeat, Dux summam navet operam, ut reliqua adhuc inter malleum & incudem versantia, quam primum quoque conficiat, vel nuntio mittendo de obtenta victoria, quo audito, hostis reliquus rebus su s diffidat: vel suapte persona suisque copiis iis subveniendo, ut hostis eo vehementius urgeatur, & sui alacrius ad pugnandum animos intendant. *Sicut* Alex. M. *qui quidem Darium superatum per longum spatium persequebatur, attamen audiens, in quo discrimine Parmenio esset, quod, ni mature subveniret, non posset sisti fuga: statim refrenare equos jussit, contenditque ad Parmen. reliqua belli sic confecturus.* Curt. *lib.* 4. *cap.* 16.

22. Quodsi autem forte fortuna fieret, ut imperator summus, qui semper undique telis, gladiis, & hastis appeti solet, interimeretur, mortem ejus summoperè celari oportet, quia milites, cæso duce, plerumque adeo obstupefiunt, ut facile terga vertant, & sua fuga hosti alacrem animum & stimulum addant: *Sicut* Curt. *lib.*4. *cap.*16. *recenset exemplum in Mazæo, qui, cum ad eum*

supe-

superati regis fama pervenisset, fortunâ partium territus, languidius hosti institit, & sic Parmenioni vincendi ansam præbuit. Simile quoque exemplum refert Tacitus *lib.4. Hist. cap.34. de militibus Civilis, qui lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum famâ, vulneratum eum aut interfectum esse, immane quantum suis pavorem, hostibus alacritatem indidit*: raro enim fit, ut milites famâ cæsi ducis incitentur ad eum ulciscendum, *quemadmodum milites* Alex. M *fecerunt in* Curt. *lib.9. cap.5.* Cæso namque duce milites plerumque nec salvi sunt, nec esse volunt *ut milites* Alex. M. & Darii teste Curt. *lib. 4. cap.15. & lib 9. cap.6.* Sin vero ipsi sciant, tamen prospiciendum est, ne id hostis comperiat, quia ipsi tum occasio optima offertur fortiùs pugnandi & victoriam reportandi *Hoc & veteres observasse testatur* Liv. *lib.41.* De Petilio. *Ipse enim dum incautus ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt, & suorum pauci qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultaverunt.*

23. Quoniam verò alea belli valde anceps est, non male cautus Dux suis consulet, si ipsis ante prælium de aliquo loco prospiciat, per quem, & in quem se fugâ salvare possint, ut ibi cibis refecti, armisque rursus instructi, cum hoste eo citius prælium redintegrare valeant; ne autem milites omnes in fuga ritu ferarum ab hoste ipsos persequente trucidentur, dux conetur dolis quibusdam & fallaciis hostem retardare: *cujus solertiæ exemplum suppeditat* Florus in Mithridate, *cujus copiæ, cum à Romanis profligarentur, ipse, ut peritus avaritiæ Romanæ, Sarcinas & pecuniam jussit à fugientibus spargi, quibus hostes morarentur. lib.3. cap.5. v.18.* Simile strategema tribuit Poliænus satrapæ Mithridat. *lib.7. quod & Syros fecisse* S. Scriptura *memorat lib.2. Reg. cap.7. Syri enim audito strepitu tumultuq; hostium, relictis tentoriis, equis, asinis & pretiosissimis rebus, fugâ consuluerunt vitæ suæ.*

24. Cum vero plerumque post partam victoriam, victores securi sint, nullumq; hostem amplius timeant, & præsertim, cum adhuc sunt occupati in persequendo hoste, nullo fere observato ordine, & incompositi, hostiũ fugæ insistere soleant; Dux cautus seriò in id incumbat, ut milites disposite potius incedentes habeat, ne ex insidiis forte, adversarii palantes ferociter aggrediantur & conturbent, ipsisque victoriam rursus eripiant, *quod*

Alex. Magn. *ferme accidisset in persequendo Dario. cum enim militem in castra reduceret, ipsumque pauci & incompositi sequerentur ovantes; ex adverso ipsis repente apparuit agmen hostium, qui, Macedonum paucitate conspecta, statim turmas in obvios concitarunt. & ni* Alex. *semper adspirasset fortuna, forsitan hic non illæsus evasisset* Curt. *lib.*4. *c.*16. Et hæc ad ea quæ dux observare tenetur, quatenus sibi suisque consulere debet.

Cap. II.

1. Videbimus nunc paucis etiam, quâ ratione prudens & exercitatus imperator hostem excipere debeat. Hosti igitur iter facienti interdum struendæ sunt insidiæ, in iis præsertim locis, quos, si superet, in maximum adversæ partis commodum cessuros dux arbitratur.

2. Priusquam autem manus conserantur, Dux solers studeat, ut hosti omnem commodum locum præoccupet, contra autem illum in loca perniciosa redigat; equites nimirum in loca montuosa, pedites in plana conjicere moliatur. præsertim autem hostium multitudinem impediri necesse est, quo minus diffundatur, omnesque pugnare & prælio interesse possint. *Perinde ac* Alexand. *Daryj multitudinem, cujus ille paucitatem ante contempserat, suppressit.* Curt. *lib.*4. *cap.*4 Hostis quoque cogatur occupare ea loca, quæ ipsi ad pugnandum sunt incommodissima? ut solem nimirum obversum habeat, qui radiis suis inimicatum copiarum visum retundat quo minus tela, vel alia arma, certò dirigere potis sit, atque ventus hosti adversus, non modò ejaculationes pilarum turbet, sed pulvere etiam oculos hostis infestet. & quæ sunt ejus generis impedimenta alia, *quod* Annibal *Dux callidissimus, & acerrimus Romanorum hostis, cum summa Romanorum clade præstitit apud* Florum *lib.*2.*cap.*6.*v.*17. *Cujus artem imitatus* Marius *insignem ex Cimbris victoriam retulit* Flor. *lib.*3. *c* 3. *v.*15.

3. Omnia ea loca præcipuè, per quæ hosti vel commeatus, vel auxilia, aut etiam alia necessaria mittuntur & transportantur, præoccupentur & præsidiis firmentur. Illi quoque arceantur, per quos hosti talia subvehuntur. laborandum præterea est ut auxilia missa vel intercipiantur, aut etiam avertantur & dissipentur, ita quidem, ut quantum fieri possit, illa occultentur,

ne re-

ne rescifcat hoſtis, Iſq; expectatione, & mora, annonâ incipiat laborare, militeſq; perpetuis vigiliis, curis, inaniq; ſpe enerventur, & indignabundi reddantur.

4. Tempus ad pugnam hoſti exitioſum expectare poſſe, haud parva quoque ducis eſt ſolertia; nimirum conſerantur manus cum militibus, ex itinere modò peracto, feſſis & defatigatis: aut cum rerum ſecuri, minuſq; cauti ſunt.

5. Facili labore & tum vincitur hoſtis, cum enervantur ejus copiæ, earumque vires, dolore vel voluptate, vel nimio frigore & calore, vel inediâ, quando commeatus vel intercipitur, vel corrumpitur & vitiatur: vel defectione aquarum, in locis præſertim aridis & calidis, vel cum miles ex recentibus vulneribus adhuc male habet. Voluptate hoſtium vires inprimis frangunter, commeſſationibus, gulâ & luxuriâ. Et hoc fit, cum hoſtibus luxurioſis, aut etiam eſurientibus, ſitientibuſque, talia jubeat advehere, , aut in eorum poteſtatem ſponte venire, quos deinde talibus immerſos facillime poteſt vincere: Ita Cyrus *Scythis impoſuit, dum ficto metu Caſtra reliquit, vino epuliſq; repleta: Tum Tamyris regina miſit filium ad eum perſequēdum, qui, occupans Cyri Caſtra, velut ad epulas non ad prælium veniſſet, vino ſeſe ſuoſque onerari patitur, quibus cognitū, Cyrus reverſus, omnes trucidavit* Juſt. *lib.1. c.8.*

6. Haud parvum commodum quoq; capitur, quando nonnulli ex hoſtium exercitu, vel ad proditionē, vel ad defectionem ſollicitantur, per quos facta, conſilia, inſidias, quantum qualemq; exercitum habeat hoſtis, omniaque ſcitu & exploratu neceſſaria manifeſtantur. hoc autem perficitur vel promiſſione honorum, ſecuritatis, aliorumq; emolumentorum, vel corruptione per pecunias & præmia. *quod moliens* Nabarzenes, *ſi ſenem hortabatur, ut dignum aliquid nobilitatate & moribus ſuis ederet, & interficeret regem Alex. magno id ei apud regem Darium honori fore, inſinuans.* Curt. *lib. 3. cap. 7.*

7. Cum autem plurimum valeat ad vincendum hoſtem, nanciſcendamq; victoriam, ſi hoſtes inter ſe diſſideant; maximopere igitur laborandum, ut concordes adhuc diſſenſionibus diſtrahantur, & vel Dux militibus, vel milites duci ſuſpecti reddantur. Nam ubi membra in corpore diſſident, facile totum corpus corruit. *quod plenius diducit* Florus *lib.1. cap.23.* Val. Max. *l.8. c.9.*

Hoc optime intellexit Annibal. *Hic enim, ut Dux solertissimus, pro viribus studuit Q. Fabium Maximum suis reddere suspectum, cum cæterorum agris populatis illius intactos reliquerat.* Front. *lib.1. cap.8. exempl.2.* & Valer. Max. *lib.7. cap.3. id tentavit etiam* Cerialis *contra Civilem apud* Tacit. *lib.5. Histor. cap.23.*

8. Hostem dux callidus quoque fallere potest, cum secessionem & proditionem à suis factam per quasdam subornatos simulari jubet. Cum ad hostes transfugientes nimirum dicant, committere se talia, vel proprerea, quod bellum non de justis causis susceptum sit, ac proinde Deum sibi ultorem sint habituri: vel quod nimis duriter à suo duce tractentur, perpetuisq; laboribus & vigiliis macerentur & excrucientur, nullumque permittatur tempus corpus curandi, cibis, potu, & aliis rebus, quæ ad refectionem tum animi tum corporis faciant: quod non debito, aut planè nullo tempore solvantur stipendia, insuper plagis, ipsoq; supplicio milites afficiantur, aut planè propter nullas, aut saltem propter leves causas. *quam technam in fallendis Gabiis adhibuit* Tarquinius Superbus, *de quo* Florus *hæc profert, l.1.c.7. v.6.7.* quod non dubitaverit verberare filium & sic ad hostes transire finere, *cui transfugam simulanti fides apud Gabios esset.*

9. In ducem & inde redundat commodum, si hostem incautum vel temerarium reddere potest. Cum nimirum simulet se non audere cum hoste congredi & confligere, propter nimias illius copias, ob defectum alimentorum, milites non satis instructos armatosque, & si quæ sunt alia, quâ arte observata, hosti confidentiam victoriæ, ingentemq; audaciam injicere potest, quæ deinde in nervum erumpere solet.

10. Haud parvi commodi res inde acquiritur, si hostem semper prælium flagitantem dux solers detineat, eumque morâ conterat, & vires ejus frangat. *quem dolum solertissimè intendit Annibali* Q. Fabius Maximus, *qui eum morâ tantùm superavit, unde & cunctator dictus. Cujus Historiæ testis est* Florus *lib.2. cap 6. vers.27.* Valer. Max. *lib.3. cap.8.* & Plutarchus *in vita eorum. quâ ratione etiam* Pompeius, *Cæsare semper prælium flagitante, moras nectebat, & tergiversabatur ut eum undiq; inopiâ commeatuum interclusum terreret, & sic ardentissimi ducis impetus tandem consenesceret.* Florus *lib.4. cap.2. vers.42.*

verſ.42. hinc eſt quod Tacitus *lib.2. Hiſt. cap.32. habet:multa bella impetu valida per moras evanuiſſe.*

11. In ipſo prælio Imperator militaris, ſiquidem ſit numeroſa manu ſtipatus, hoſtem circumeundo, copiaſque a fronte, à tergo, & à lateribus objectando, urgeat & divexet, *quod &* Darium & Alex. *ſibi invicem feciſſe apud* Curt. *l.3.c.11. legimus.*

12. Spicula hoſtium, inprimis globos ex majoribus & minoribus fiſtulis emiſſos, vel inſtrumenta bellica alia, Dux milites ſuos caute evitare & declinare, belluas & animalia terrore, aut alio modo turbare, aut plane interficere doceat. *quo modo* Alex. M. *ſuos inſtruxit, iiſque præcepit, ut, ſi Barbari falcatos currus cum fremitu emitterent, ipſi laxatis ordinibus, impetum occurrentium ſilentio exciperent, haud dubius, ſine noxa tranſcurſuros, ſi nemo ſe opponeret. Sin vero ſine fremitu immitterent, juſſit eos, equos clamore terrere, pavidoſque utrinque telis ſuffodere* Curt. *lib. 4. cap.13. pari modo in Elephantos Pori Regis juſſit Agrianos vim telorum eminus injicere, & cominus ſecuribus pedes amputare, quo facto cum ſuis rectoribus perierunt, & ſic* Alex. M. *victoriam adeptus fuit.* Curt. *lib.8. c.14.*

13. Quod ſi quis exiguum bellatorum habeat numerum, aliis rebus hoſtibus metum incutere annitatur: terreri autem poteſt hoſtis multis modis. Clamoris præſertim magnam vim ad percellendos hoſtes eſſe, omnes fere hiſtorici teſtantur, legatur Gruterus *in diſcurſ. ad Tacit. part.1. p.105.* & Cl. Berneg. *quæſt.8. de qua re etiam* Cæſar *lib.3. B.C. graviſſimè & acutiſſimè philoſophatur.* deinde quoque terror interdum injici poteſt hoſti quoad viſum, cùm oculi ſplendore aliquo feriuntur, vel armorum, ignium, aut aliarum rerum fulgentium. *quæ res Cimbris fuit exitio, quippe ex eorum captivis cognovit* Marius, *quod ex ſplendore & repercuſſu galearum, quaſi ardere cœlum viderint, & ſic terrore commoti fuerint.* Flor *l.3.c.3. cui &* Horatius *ſuum adjicit calculum lib.2. Carm. od.1. ſic canens:*

> *Jam fulgor armorum, fugaces*
> *terret equos, equitumq; vultus.*

præſertim autem noctu talia apte poſſunt ſtrui, quando homines veluti ſpectra, vindiceſq; à Deo miſſi ſubornantur, ut hoſti pavorem inferant. *quem dolum intenderunt Fidenates Romanis: qui, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armati, & diſcoloribus ſerpentum in modum vittis, furiali more proceſſerunt.* Flor *lib.1. cap.12. v.7.* Animalia quoque, bruta nunquam antehac viſa, ut

Elephanti, Leones, tauri & alia ; quæ ob ſuam magnitudinem, horridum clamorem, trucemq; aſpectum, apud ſui ignaros, tantum pavorem excitare poſſunt, ut milites, aut adhuc æquo marte certantes, aut jamjam victoriam in manu tenentes, tremore percutere, & in fugam vertere valeant. *Cujus rei teſtes ſunt milites* Alex. M, *qui jam victores erant, viſis autem elephantis Regis Pori, audítoque tam pavido & inſolito animalis ſtridore, ita conſternati ſunt, ut modo victores fugæ loca circumſpicerent.* Curt. l.8 c.14 *quorum aſpectu Romani etiam territi, à* Pyrrho *victi ſunt.* Juſt. *teſte lib.*18.*cap.*1. *Hos quoque* Antigonus *Gallis terroris cauſa oſtendit.* Juſt. *lib.*25. *cap.*1. aliis etiam animalibus, quæ, quia ab hoſte divinis honoribus coluntur, interficere hoſti nefas cenſetur, perturbatio gigni poteſt. *quod machinatus eſt Cambyſes Ægyptiis, cum quibus prælium commiſſurus erat, quippe gnarus, eos canes feleſque pro numine venerari, collocavit eos in prima acie, quos, cùm Ægyptij ferire nollent, fugerunt.* Polyæn. *lib.* 8. & denique terror hoſtium promovetur, vel novo genere armorum, victoriæ nuntio, vel vero, vel ſimulato, ſpe adventantium auxiliorum, novorum militum, aliiſq; modis pluribus.

14. Caveat autem non nunquam Dux, ne hoſtes nimium includat, ipſiſque ómnem locum viamq; elabendi adimat, aliâs hoſtes rebus ſuis plane diffidentes, velut in rabiem nonnunquam convertuntur, & cum mortem ante oculos verſantêm vident, immane quantum fremunt, ac inulti cadere nolunt. deſperabundis igitur ſimiles arma capiunt, omnique metu & ſalute abjecta, ferociſſimè pugnant, quo modo aliquoties victoria non ſperata obtenta fuit. *ut* Curt *lib.*5. *cap.*4. *refert exemplum de copiis Ariobarzenis ab Alex. undique circumventis, quæ tamen memorabile prælium edidere, neceſſitas enim ignaviam acuit, & ſæpe deſperatio ſpei cauſa eſt.*

15. Ad finem bello imponendum, & ad reportandum victoriam, non parum facit, ſi ſummus adverſariorum dux, aut vivus aut mortuus in alterius poteſtatem veniat, quippe in ejus corpore poſita eſt victoria, *ex verbis* Alex. M. *apud* Curt. *lib.*5. *cap.* 13. & Tacit. *lib.*4. *Annal. quandoquidem non niſi interfecto duce requies belli expectanda eſt.* Si enim Dux ſummus captus tenetur, aut perimitur, aut ſaltem interemptus creditur, cæteri animo ſtatim deficiunt, ut ſeſe vel ſponte dedant, aut uno impetu fugam capeſſant.

ſant.

ſant *quod* Curt. *Confirmat lib. 4. cap. 15. de militibus Darij, qui tantum auriga regis haſtâ transfixo, autumantes ipſum regem cecidiſſe, lugubri inconditoque clamore, totam aciem adhuc æquis viribus pugnantem turbaverunt, & in fugam verterunt. Conferatur quoque exemplum* Holofernis *in lib.* Judith: *cap.14.* Florus *item conſulatur lib 2. cap.6.* Horat. *lib.4. Carm. oda.4. de reciſo Aſdrubalis* Capite. Plura quidem de his poſſent proferri, ſed ne in magnam molem excreſcant, in hiſce jam ſubſiſtere placet.

16. Lubet tamen coronidis loco, quæſtionem illam noſtræ diſſertatiunculæ attexere; num etiam ſtrategematum uſus defendi poſſit à viro bono? & quamvis alias hæc quæſtio in ſcholis politicorum, nec non Ethicorum ſit decantatiſſima, ut præter jam dicta, vix aliquid novi addi poſſe videatur. quia tamen tractationi noſtræ potiſſimùm inſervit, intacta relinqui nô debuit; ut autem ſententiam, quam tuemur, affirmativam, eo firmius ſtabiliamus, removenda erunt nonnulla, quæ opinionē noſtram morari poſſint. I. igitur illicita Strategemata non tantũ à viro bono, ſed etiã à milite bono exulare volumus. Qualia ſunt; veneno in duces hoſtium graſſari, quam rem Romani ut maxime abominabilem deteſtati fuerunt. *Inde* C. Fabritius Conſul Rom. Pyrrhum *admonuit, ut ſibi caveret à quodam, qui veneno ipſi inſidias strueret. Recitatur tota Epiſtola* Con. Rom. ad Pyrrhum *ſuper hâc reſcripta apud* Agel. *lib.3. cap.8.* Noct. Att. Neque etiam probari poteſt illorum ratio, qui aquas & fontes veneno inficiunt, vel venenatis beſtiis, ut ſerpentibus, aſpidibus, contra adverſarios decertant. *Sic conſilium* Annibalis, *quo regem Pergamenum Eumenem, Romanis amiciſſimum, navali prælio ſuperavit, laudari vix poterit; quæ hiſtoria peti poteſt ex* Corn. Nep. in V. Hann. *cap.10. & 11.* vel, qui miniſterio ſicariorum & incendiariorum utuntur. Non item pugnandum cenſemus in hoſtes veneficiis & arte magica, *quo genere pugnandi veteres Barbari nonnunquam uſi fuerunt*: Et licet Jure belli licitum ſit, omne armorum genus adhibere, etiam ſi nova ſint & recens inventa, vel etiam falſa & mentita, tela tamen venenata, cum vera fortitudine vix ſtare poſſe arbitrãmur. *qualibus gladijs ſubditi regis Sami copijs* Alex M. *damnum intulerunt. in* Curt. *l.9. cap* 8. II. Strategematum uſum rejicimus, & in pactione induciarum, & poſt pactas eaſdem. *Perniciosum enim eſt dogma Ma-*

chia-

chiavelli, animis de generibus potius, quam generosis ducibus insitum, quod sic sonat, principem quidvis & simulare, adeoque etiam juratam fidem fallere debere, quoties ipsi utile videbitur, quo ingenio Plutarch. in Laconicis *cap.* 94. Lysandrum *preditum fuisse memorat, qui jus in sola utilitate ponebat, & sicut pueros talis, sic viros Sacramentis decipiendos esse, perversissimè judicabat.* nec mitiorem censuram meretur ille, *cujus* Cicero *meminit, qui pactis ad aliquot dies induciis, impressionem de nocte in hostes fecit: quod scelus Sophismate eludere volebat, inquiens: insidias nocturnas cum pactis non pugnare, quæ dies saltem spectavissent.* Contra

Multo optimus ille
Militiæ, cui postremum est, primumq́, tueri
Inter bella fidem. Sil. Ital *l.*14.

neque enim unquam violatoribus fidei res bene cessit, quod quidem exemplis deducere non est nostri propositi. Carthago, *quæ*

Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

eâ causâ funditus excisa fuit. Remotis igitur his & plurimis aliis similibus, quæ proferre animus non est, statuimus, Strategemata salvo boni & ducis & viri officio, licita esse. Probant nostram sententiam validissima argumenta. I. quia Strategemata ex ipsa principe virtutum prudentia proveniunt. Prudentiæ siquidem munus est, providere, quâ ratione rem nostram promovere queamus in omni vitæ genere, jam verò, quo modo dux bellicus, qui vel ab annona, vel à militibus non valde est instructus, vel incommoditate & angustiis locorum affligitur, vel aliâ quacunque re laborat, hosti potentiori resistet, nisi consiliis variè agitatis, strategema aliquod machinetur, quo vel ictum hostis exire, vel ipsum hostem atterere valeat. Cui negotio exacte conficiendo præstò esse debet prudentia, ejusque individuus comes solertia, quæ consilia στρατηγηματικὰ suppeditet 2 Quia hostem quovis modo vincere licitum est, cum in eum habeamus potestatem vitæ & necis, si modus iste non peccet in leges vel pacta. *Nam juxta* Pind. Isthm. *Od.*4.

χρὴ δὲ πᾶν ἔρ——

——δοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν. *oportet quidlibet faciendo hostem labefactare.* pulchrum quidem est animositate leonem vel aquilã, vitio tamen non datur, calliditate vulpem referre, quæ supina impetum

petum aquilæ cohibet. jam verò nuſpiam legitur in hiſtoriis, ullos duces vel populos inter ſeſe convenisse, vel tranſegiſſe, ſtrategematibus abſtinendum eſſe, ſolumque aperto marte pugnandum, quod manifeſtum eſt argumentum, facta iſtiuſmodi belli, ab omnibus gentibus approbata fuiſſe. Accedit 3. Illud, viros prudentiâ, rerumq; experientia, geſtorum laudabilium magnitudine illuſtres valde, hoc genus vincendi amaſſe & uſurpaſſe, abſque ulla nominis ſui infamia. Exemplis abundant innumerabilibus non tãtum hiſtoriæ profanæ, ſed etiam in ipſo ſacro Codice ſtrategemata permiſſa, imò & à Deo comprobata & mandata fuiſſe legimus. Cum enim bellum eſt juſtum, nihil intereſt, ſive aperta vi, ſive occulto modo hoſtis vincatur & profligetur 4. Quia ſummi duces, & bellicoſiſſimæ nationes, maximam gloriæ ſuæ partem in eo ſitam eſſe ſemper judicaverunt, ſi victoriam ſine periculo comparare poſſint. *quod ipſum* Vegetius *lib.3.cap.9.de re militari his verbis approbat: Boni duces non aperto marte, prælium in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut integris ſuis, quantos poſſint hoſtes interimant, certe vel terreant. Callentiſſimus harum artium erat* Cæſar, *qui fortunam periclitari nolebat, ubi ſine pugna, & ſine vulnere ſuorum, rem confici poſſe videbat, exiſtimans, non minus eſſe imperatoris, conſilio ſuperare, quam gladio. ut ipſe dicit lib.1.de B.Civ.* Spartani *totius Græciæ bellicoſiſſimi, ſingularibus ſacrificiis conteſtati fuerunt, quanti victorias aſtu partas fecerint.* Xenophon *quoque lib. 1.* pæd. Cyrum à *parente ſuo hoſtes dolis bellicis circumvenire doctum fuiſſe memorat.* Et quamvis nonnulla à ſimplicibus & candidis naturis contra hanc ſententiam objici ſoleant, non tamen magni ſunt ponderis, ſed facile retundi poſſunt. *Sic quidem* Divico Helvetiorum legatus *ad Cæſarem lib.1. B.Gall. dicit, ſe ita à patribus majoribuſque ſuis didiciſſe, ut magis virtute, quam dolo contenderent, aut inſidiis niterentur.* Populumque Romanum non fraude, neque occultis, ſed palam & armatum hoſtes ſuos ulciſci conſueviſſe Tacit. *lib.2. Ann. cap.* 88 *ſcribit.* parum quoque firmam dicunt eſſe victoriam, occultis iſtis machinationibus acquiſitam, quia qui dolo ſuccubuere, facile iterum in ultionem reſurgere properant, cenſentes magis ſe deceptos, quam victos. Tacit. 3. *Hiſt.* 2. *quemadmodum apud eundem Hiſt.* 2. *cap.* 44. *prætorianus miles non virtute, ſed proditione ſe victum fremebat.* Inſuper *eam vir ſanctus & ſapiens ſcit veram eſſe*

 victo-

victoriam, quæ salva fide & integra dignitate paratur: inquit Flor. lib. 1. *cap.* 12. verum hæc omnia & similia, fundamentum nostræ thesis concutere nequeunt. Sciendum ergo, flexuosis istis consiliis & versutiis non solùm inhærendum, sed vulpinæ pelli, leoninam etiam assuendam esse, hoc est, & aperta & occulta vi hostes frangere licere, prout id variæ circumstantiæ tulerint. Quod autem ad orationem Diviconis attinet, illa quidem improbanda non est, justo tamen simplicior videri posset, si in ea τὸ virtute contendere, id tantum complecteretur, quando manifestis prœliis res decernitur: Siquidem & illum virtute contendere jam docuimus, qui ex regulis prudentiæ militaris, singulari quadam ἀγχινοίᾳ consilia excogitare valet, quibus sine cruore, hoste suo superior evadat. Distinguendum præterea inter dolum, qui sub malitiæ genere continetur, & inter illum, qui ex solertia proficiscitur. Locus Taciti loquitur de insidiis degeneribus, quas Rom. odio habebant, nam infra suam dignitatem esse existimabant dato veneno vel empto percussore iu hostem grassari, ut ex inspectione ipsius textus patet. Quod porrò dicitur, victoriam strategematis partam infirmam fore, illud argumentum admodum lubrico nititur tibicine, quum experientia contrarium per plura secula jam evicerit. Sufficiant unici Julii Cæsaris commentarii, qui omnigenis referti sunt Strategematibus, neque tamen quisquam erit, qui victorias ejusdem minus constantes fuisse, judicaverit. Nec Florus dolos bellicos omnino damnat, sed tantùm in iis vult salvam fidem & dignitatẽ observandam esse. Nam quis ex magnis viris & summis imperatoribus, abjectum istiusmodi dolum probaret, quo Camillum in capiendis Faliscis nefarius ludimagister uti volebat? Sed his jam disputatiunculam nostram concludere, & nos benevolis Lectoribus commendare volumus.

COROLLARIA.

1. *Mare nullo modo dici potest Meteorum.*
2. *Principia illa Chymica non sunt talia, pro quibus ab assertoribus venditantur.*

3. *In*

3. *In Ethica non dantur demonstrationes, secus quam aliquis Ramista putat.*

4. *Qui S. bonum in specie tantum humana, non in aliquo individuo dari arbitrantur, illi hominem simul ad determinatum finem factum esse negant.*

5. *Wendelinus contra propria principia, virtutes Theologicas Ethicæ immiscet.*

6. *Idem statuit amicitiam esse virtutem, nos Arist. præ illo defendendum esse censemus.*

7. *Epicuri philosophia de voluptate, injustius lacessitur ab obtrectatoribus, nec ex toto rejicienda.*

8. *Urbanitatis modum eleganter expressit Martialis lib.* 10. *Epigr.*33.

   Hunc servare modum nostri novêre libelli,

   Parcere personis, dicere de vitiis.

9. *An deroget dignitati alicuius disciplinæ, non habere demonstrationes. N.*

10. *An verum sit illud Arist. lib.1. Metaph.1. Omnes homines natura scire desiderant. Aff.*

11. *An ipsum belli ducem expediat interesse præliis.*

12. *An Velitationes ante iustum prælium committendæ.*

13. *An religionis diversitas in bene constituta Rep. sit toleranda D.*

14. *An aleæ studium sit probandum. D.*

AD PRÆSTANTISSIMUM DOminum Respondentem.

INsidias, fraudes, & furta latentia belli,
Et multa structos hostibus arte dolos,
Te juvat explicuisse: Tibi mox illa parabunt
Furta, doli, fraudes, insidiæq; vafræ,

Ut,

Ut, quos ès meritus referas ſic victor honores,
Utq; tuum cingat pulchra corona caput.

Amiciß. Affectus teſtandi gratia apponebam

M. Joh. Valent. Stigelmann,
Coll. Wilh. Pædag.

Fortiter; at Callidè!

VUlpinam quandoque iuvat aſſumere pellem;
atque leoninâ non ſuperare datur:
& quantum nequiit manifeſto robore virtus,
efficit occultâ callidus arte dolus.
Attamen & tectum virtus eludit aperta
ſæpe dolum, & vulpi præſtat, Amice, Leo;
Vin' vulpem ſuperare Leo, Vulpesq́ Leonem;
fortis es hoc illi, callidus illud huic.

Honoris Amoriſque E.

Doctiſſimo Dn. Reſpondenti de Strategematis publicè diſputanti, poſuit Amicus.

M. Jo. Conr. Barthius.

LErſæe, non te detinebo verſibus trecentis,
Quid ſentiam ſtrategica de lucubratione,
Quam diſputans nunc exhibes, vel unico docebo,
Res ſcripta grandis convenit cum maximo labore.

ſcr.

M. C. B. U.

QVi celare dolos in bello novit aperto,
Vt per eos peſſum proditus hoſtis eat:
Laudem olim meruit, laudes hodieque meretur,
Et fructum cautè belligerantis habet.
Te tacitos, LERSÆE. dolos aperire potentem
Hæc eadem merces, par quoque fama, manet.

Auſpice

Auspice nam Phœbo, dum Marti absconsa revelas,
Ibis in amborum, dulcis amice, decus,
Dissimiliq́; operâ contraria tela repelles
Nec vi, nec poteris calliditate premi.
Forsan & in castris utriusque, virentibus olim
Victrices foliis impediére comas?
Dij bona dant meritis, & habet sua præmia miles
Certa, nec est dubium, quin potiére tuis!

Hæc pauca per eximio Dn. Respond. Amico
dulcissimo, amicitiæ causa scrib.

M Daniel Keck, Argent.

MAgno parare corde bella; prudenti
Res ordinare bellicas modo; cautè
Vitare fraudes posse, machinas, technas,
Dolosque, quos intentat hostium turba,
Res grandis est laboris, atque momenti.
At ponderis majoris esse censetur,
Inire pugnam fortiore conatu,
Acriq; vi, Mavortiaq; virtute
Hostes ferire, fervidoq; grassari
Ferro per illius phalangas & turmas.
At ille cuncta possidere momenta
Putatur, atque fortitudinis laudem
Omnem mereri judicatur, ingenti
Contrarias qui copias necat clade,
Victorq; discedens ovat, triumphatq;.
Pari modo laudabilis quidem res est,
Et pulchra valde, deperire flagranti
Bonas amore literas, amœnasq́;
Scientias noctes diesq; tractare.
Sed ampliore dignus est adhuc laude
Is ipse, qui non modò suis canit Musis
Domi, sed interdum sui ingenî prodit
Vires, locoq́; publico theses sistit,
Et disputationis aleæ lætus
Se credit, & partem lacessit adversam:
At ille re pulcherrima superbire

Demum

Demum poteſt, qui diſputat, reportatq;
Ex diſputatione nomen & famam
Victoris, applaudentibus viris Doctis
Hac mente, ſellam, care *Lerſe*, conſcende,
Et quæ tua erudita penna conſcripſit,
Adverſus hoſtis impetus, & infeſta
Objectionum tela, maſculo corde,
Defende linguâ, & ore vindica promto,
Victoriæ ſpe fretus, atque prælustris,
Quâ Phœbus ornabit tuam comam, palmæ.

Amico conjunctiſſimo f.

Elias Veiel.

QUod vigili ſtudio Charitum ſcrutatus abyſſos;
Egregium ſpecimen teſtis, dum Martis iniquas
Fraudes commonſtras celſo de ponte cathedræ;
Hinc ſperanda TIBI condigna brabéa labore:
Euge bonis avibus curſu contendere perge.
Nec dubita quin TE docilis ſolertia tandem
Ornatura ſiet palmâ tituloque *Magiſtri*,

Amico ſuo integerrimo
lmq; f.

Wolffgang. Pichlerus Eslingenſis.

F I N I S.